

Matth. XXIII, 2. seq. tempore Apostolorum ante acceptum Spiritum Sanctum, cum nescirent, Christum oportere pati & resurgere, somniarent Regnum Christi terrenum, adeoq; de primatu sæpius acriter contenderent, &c. Conf. D. Diet. Anal. Ev. P. III. p. 429. b.

(5) Falsum est, Ecclesiam usq; ad finem mundi non duraturam. Hæc omnia prolixius extendere hoc loco non licuit, cum superius jam diducta sint.

III. πρὸς τὸ ἀνθρώπων.

(1) *Qui stat, videat ne cadat.* Quamquam enim Ecclesia super Petram fundata sit, errare tamen potest. Hostes infernales non dormiunt, sed continuo Ecclesiam impugnant. Securitas ergo omnibus modis fugienda est. Vigilate inquit Dominus Matth. XXVI. 41. quæ adhortatio esset frustranea, si gratia DEI excidere non possemus.

(2) *Amicitia cum Diabolo non ineunda.* Misere falluntur omnes, qui cum irrisoribus ex Es. XXVIII. 15. dicunt; *Wir haben mit dem Tod einen Bund und mit der hölle einen Bestand gemacht.* Satan enim est hostis infensissimus Ecclesiæ ejusque membrorum fidelium. Transformatur se quidem in Angelum lucis, sed hostis est & manet. Impietas ergo extrema est horum hominum, qui de Diabolo bona præsumunt, Blanditiis ejus per hæreticos, mundum, carnem suggestis credunt, familiaritatem cum eo colunt (ut Magi aliiq; Spiritus suos familiares, qui revera sunt Catodæmones, jactantes) & auxilium ab eo perunt; *Wie stimmest Christus mit Belial.* 2. Cor. VI, 15.

(3) *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter hoc quod positum est, quod est JESUS CHRISTUS* 1. Cor. III, 11. Perditissimi ergo sunt omnes, qui à Petra ad Petrum, h. e., à Religione nostrâ Orthodoxâ deficiunt, & Pontificiam sive aliam quamvis amplectuntur; Hi non sunt fundati sed κληθῶνιζομενοὶ καὶ περὶ φερόμενοὶ παντὶ ἀνέμῳ τῆς διδασκαλίας Eph. IV. 14. sunt quidem super petra, sed ῥίξαν ἐκ ἰχθυσίν; Luc. IX. 13.

IV. πρὸς παιδείαν.

(1) *Vero Ecclesiæ fundamentò semper insistamus,* Christus est Ecclesiæ fundamentum & Petra salutis. Huic inhæreamus *partim verâ fide,* dicentes cum Psalmista Ps. xix. 3. *Der Herr ist mein Fels*

Fels